

me invenit nihil, sciens divitiarum possessionem specialem daemonis laqueum esse, eumque specialissime in hoc veluti in suo centro residere.

Tametsi quidem certum sit, quod Ecclesiasticus, vi, 20, ait: *In medio laqueorum ingredieris, verumtamen Apostolus divitiarum cupiditatem specialiter demonis laqueum esse Timotheo discipulo suo declarat, dicens: Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem et in laqueum diaboli. 1 Tim., vi, 9. Quis nostrum argentum et aurum, temporalesque prosperitates, quas tantopere absentes concupiscimus et in quibus habitis tantopere nobis complacemus,*

laqueos esse crederet? Quis non videt quod omnes et singuli se hujus laquei nexibus magis, magisque irretire desiderant, omnique studio satagant: « Er-  
« gone, » inquit Hugo de S. Victore, « laqueus dia-  
« boli sunt divitiarum mundi hujus? Heu me, quam  
« pauci sunt qui volunt ab isto laqueo liberari?  
« Quam multi sunt qui dolent quod tam parum sunt  
« irretiti! »

VERSUS 31.

*Sed ut cognoscat mundus quia diligo Patrem, et  
sicut dedit mihi Pater, sic facio.*

## DOMINICA PRIMA POST PENTECOSTEN

EVANGELIUM LUCE, CAP. VI, VERS. 36

36. Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est.  
37. Nolite judicare, et non judicabimini; nolite condemnare, et non condemnabimini; dimittite, et dimittentini.  
38. Date, et dabitur vobis, mensuram bonam, et confertam, et supereffluentem dabunt in sinum vestrum; eadem quippe mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis.  
39. Dicebat autem et illis similitudinem: Numquid potest cæcus cæcum ducere? nonne ambo in foveam cadunt?  
40. Non est discipulus super magistrum, perfectus autem omnis erit, si sit, sicut magister ejus.  
41. Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem, quæ in oculo tuo est, non consideras?  
42. Aut quomodo potes dicere fratri tuo: Frater, sine, ejiciam festucam de oculo tuo, ipse in oculo tuo trabem non videns? Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, et tunc perspicies, ut educaas festucam de oculo fratris tui.

VERSUS 36.

*Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est.*

*Estote misericordes.*

1. — Dionysius Carthusianus ita hanc virtutem definit: « Misericordia virtus est, qua quis alterius miseriæ condoleat; » distinguit autem duo genera miseriarum, pœnæ scilicet et culpæ, quarum hæc major est illa: « Multo major miseria est culpæ, quam pœnæ, ideo potissimum misericordes esse debemus, succurendo proximis, ut a peccatis suis purgentur, ipsos hortando, corripiendo, docendo, pro eis orando et peccantibus etiam dum peccant in nos, condolendo, non mox indignando, aut irascendo, aut ulciscendo. » Considerat Theophylactus, ideo Christum hanc virtutem specialiter Apostolis inculcare voluisse, quia illos ad prædicandum Evangelium, in universum mundum missurus erat, ubi innumerales passuri erant persecutores,

multasque recepturi ignominias, contumelias et probra: « Si in persecutione sua dolentes, ad vindicandum eos, qui se offenderant, conversi fuissent, silensque et non doluissent, extinctus utique fuisset sol Evangelii; » hæc enim causa fuit, cur in patibulo crucis Patrem suum pro crucifixoribus reconciliandis oravit, ut scilicet idipsum Apostolos facere, non vero inimicis suis irasci diceret.

2. — Nonnulli hoc monitum idem fuisse credunt cum illo, quod, *Matth., v, 48, dederat, dum ait: Estote perfecti, sicut et Pater vester cælestis perfectus est, quia ad hoc, ut misericordes fiant, perfecti et sancti ut sint, necessum fuit; unde ubi Vnigata nostra legit, 1 Rey., ii, 9: Pedes sanctorum suorum servabit, Cajetanus ex Hebræo vertit: Pedes misericordium suorum custodiet; siquidem magna opus est charitate, ut quis inimicis suis condonet injurias receptas, iisque beneficiat, aut miseris alienis subveniat.*

3. — Dionysius Carthusianus verbum *Misericors*

idem quod in Hebraismo *Beneficus* significare existimat.

4. — Toletus dicit: « Hoc in loco misericordia dilectionem et beneficentiam complectitur. » Lucas Brugensis similiter ait: « *Misericordes*, id est, benigni, benefici, humani, ad gratificandum faciles, scilicet erga omnes amicos et inimicos, « bonos et malos, divites et inopes. »  
5. — Albertus Magnus, in *Luc.*, multos insinuat modos, quibus hanc erga proximum virtutem praticare et exercere valeamus. « Primo, in miseros corporaliter vel spiritualiter viscera compassionis effundendo. Secundo, miseris de vestris donando. Tertio, si quid debet miser, condonando. Quarto, miseriam ejus, quantum potestis, portando. Quinto, miserum a miseria revocando. Sexto, si etiam redire non vult, sed miseriam multiplicat, eum expectando. Septimo, revertentem sine improprio, benigne suscipiendo. Octavo, quantum in nobis est, multa quibus miseria sua tegatur, largiendo. Nono, etiam penam suam secum portando, Decimo, etiam si aliud esse non potest, « satisfactionem pro miseris suscipiendo. »

*Sicut et Pater vester misericors est.*

6. — S. Cyprianus, *Epist. lxi ad Antonian.*, legit: *Sicut Pater vester misertus est vestri.* Pater enim æternus nos, utrumque in inferno pedem positum habentes, demonis mancipia esse, ligna, metalla et marmora, deorum loco adorare et in tot aliis irreparabilibus miseris constitutos esse videns, compassione intima erga nos motus, pro nostra redemptione et reconciliatione proprium Filium suum nobis dedit et in crucis patibulo affigi voluit.

7. — Magnum profecto divinæ misericordiæ conceptum et æstimationem nobis ingerere debet illa Alberti Magni ponderatio, dicentis: « Qui nulli subjacet miseriæ, qui est in cælis, lamen pro solo pietatis affectu miseris est, seipsum in nostris miseris miserabiliter conturbando, miseriam nostras suscipiendo; multa pro nostris miseris a miseris suscipiendo, sua se nobis communicando, omnem nostram miseriam, si permitimus, abstergendo; *Joel., ii, 13: Benignus et misericors, est patiens et multum misericors, et præstabilis super malitia.* »

8. — S. Dorotheus ad hanc a Christo dilectissimi discipulis suis propositam invitationem se reflectens, ita scribit: « Non dixit, jejunate, ut Pater vester cælestis jejuna; non dixit, pauperes estote, ut Pater cælestis inops est, sed quid ait? *Estote misericordes, sicut et Pater cælestis misericors est; proprie enim virtus ista imitatur Deum, ipsum exprimit et significat.* » Chrysostomus, *Hom. xxxvi in Matth.*, similiter ait: « Nihil nos usque ad similitudinem Dei sic effert atque extol-

lit, quemadmodum libera, et benefica, et copiosa collatio. »

9. — Hugo Cardinalis observat, quod non fuerit discipulos suos hortatus ad sapientiam vel potentiam Patris sui imitandam: « Hoc enim libenter audiretur, sed *estote misericordes.* » Angelorum omnium pulcherrimus, qui Deo in potentia similis esse voluit, eidem rebellis fuit; et ideo Didacus Stella super hæc verba ita scribit: « Nec vult ut similes ei simus in sapientia, ut voluit Eva cui serpens dixit: *Eritis sicut dii, scientes bonum et malum;* nec vult, ut miraculis eum imitemur, nec in creatione et gubernatione mundi; in quo igitur? utique in misericordia, hanc potius vult quam sacrificium. » Ullissimum profecto nobis hæc in re monitum S. Bernardus, in *Sermone de S. Victore*, his verbis præscribit, dum ait: « Tuius sane æmulanda solidiora quam sublimiora, et que magis virtutem redolent; studeamus moribus conformari » de Sanctis loquitur, « cui in mirabilibus similari, etsi volumus, non valemus. » Emulemur in viro sobrium victum, devotum affectum, mansuetudinem spiritus, castimoniam corporis, oris custodiam, animi puritatem, potenter frenum ire, modum lingue, dormire parcius, orare frequentius. »

10. — Albertus Magnus ait Christum ita nos hortari: « Ut noletur similitudo, quia Pater cælestis nihil habet miseriæ, in seipso; et sic est nobis faciendum, ut alteri misericordiam faciamus, *Ecl., xiv, 5: Qui sibi nequam est, cui est bonus.* »

11. — S. Bonaventura observat quod Christus in hisce verbis circumstantiam quamdam tangat, quam nobis in hujus misericordiæ exercitio requirit: *Sicut Pater, etc.*, « quia ipse non tantum amicis, sed adversariis condescendit, » adducitque textum illud, *Matth., xviii, 33: Nonne oportuit et te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum?* « Unde illam misericordiam exiget, quam ipse impendit; » nam ut S. Jacobus, ii, 13, Apostolus ait: *Judicium sine misericordia illi, qui non facit misericordiam.*

12. — Theophylactus Christum nos, per motum aliquod valde efficacem, ad hanc virtutem exercendam obligare voluisse considerat; dicit enim: « Alia necessitate nos urget: Si diligitis eos, qui vobis beneficiant, similes estis peccatoribus et gentilibus; si diligitis eos, qui vobis maleficiant, similes estis Deo, qui est bonus ingratis et malis. » Utrum igitur Deo vel peccatoribus similes fieri vultis?

AdDITIONES.

a. — *Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est.* Divina Sapientia in variis nos virtutibus instruere volens, jam nos ad columbam remittit ad



serabili homini Filius Dei quoad corpus et animam, ut Ecclesia in hymno canit : « Se nascens dicit « socium, convensens in edulium, se moriens dat « pretium, se regnans dat in premium. »

**1.** — Valde efflicax motivum ut charitatem pauperibus prompte et libenter exhibeamus, si consideremus quod hoc faciendum, Dei erga nos amorem et benevolentiam comparamus; dicit enim Scriptura : *Hilarem datorem diligit Deus.* Et profecto, « si similitudo amorem generat, » inquit S. Leo, « ubi Deus curam misericordiae invenit, ibi imaginem suae pietatis agnoscit. » Deus enim a dando dicitur, quem benefici existentes perfecte imitatur, et ideo a Deo diligimur, quia nos ei similes efficere satagimus : *Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est.* Et S. Gregorius Nazianzenus de pauperibus fovendis inquit : « Nihil adeo divinum « homo, quam beneficiare. » Clemens Alexandrinus quoque de viro eleemosynario inquit : « Dei imago « est homo beneficiens; » et ideo S. Maximus nos monet, dicens : « Simus imitatores Domini Dei « nostri; si enim ille pauperes in caelesti gloria « voluit esse nobis consortes, cur nobis non sint in « terrena substantia consortes? Nec extranei sunt « alimoniis, qui fratres sunt Sacramentis. » Eleemosynae igitur nos Dei amorem acquirere faciunt, quo mediante unum idemque cum ipso efficitur : *Deus enim charitas est, et qui manet in charitate, in Deo manet et Deus in eo.* I. Joan., iv, 16. Unde Divus Chrysostomus ait : « In eleemosyna similis efficeris « Deo, quantum homini possibile est. » S. Leo priusquam Deum in eleemosynario vivam suam effigiem expressam agnoscere dicat, conclusionem quamdam valde notabilem, magnique ponderis praemittit, dicens : « Nulla devotione fidelium magis « Dominus delectatur, quam ista quae pauperibus « ejus impenditur; » nec immerito id dicit, quia, miserationes ejus super omnia opera ejus; *major autem horum est charitas; eleemosynam autem faciendum, Dei imitatur misericordiam, charitatem et amorem, qui sui ipsius honorumque suorum erga creaturas est communicativus.* Unde D. Nazianzenus dicit : « Pac calamitosus sis Deus, Deum imitando; ille majora dat, tu minora, uterque pro « viribus suis. »

#### VERSUS 37.

*Nolite judicare, et non judicabimini; nolite condemnare, et non condemnabimini; dimittite, et dimittentini.*

#### Nolite judicare.

**1.** — Albertus Magnus duo iudicii genera distinguit : « Est iudicium rationis et iudicium jurisdictionis; iudicium rationis est, quo facta nostra, « vel aliena apud nos discutimus; » hoc autem iudicium iterum distinguit et dicit, quod iudicium

hoc, de quo solo hic sermo est, fieri possit vel de nobis ipsis, aut vero de aliis; si de nobis ipsis fiat, jam conscientiam testis loco habet : « Habet conscientiam testem de facto et de causa facti; et de « intentione facti, et ideo in illo iudicio optime « proceditur, et suadet tali iudicio conscientiam « discutere Apostolus, » qui proinde Corinthios, I *Epist.*, xi, 31, ita monet : *Quod si nos ipsos iudicaverimus, non utique iudicemur;* demum vero ad iudicium quod fit de aliis, descendens monet : « Si « facta aliena conscientiae curiosus investigo, non « debeo ante tempus iudicare, I *Cor.*, iv, 5 : *Nolite « ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus, « qui, etc.; mihi pro minimo est, ut a vobis iudicem, « aut ab humano die; dies autem humanus est humanae cognitionis illustratio, quae saepe nebulosa « et fallax est; dies autem Domini est divinae cognitionis illustratio et manifestatio. » Ut autem melius quandonam iudicium istud prohibendum sit, intelligatur, considerandum est quod discursus nostri iudicium, vel versatur circa actiones, vel circa operantem; si opera evidenter culpabilia sint, v. g. adulterium, furtum, vel alia peccata similia, non est error, malum de illis formare iudicium, similiter tunc culpa caret iudicium, malum de operante conceptum, si tamen actualiter peccet; ceterum namque : « Cavendum est, ne iudicetur de permanentia in peccato, ut dicamus, quod nunquam « erit bonus, quia qui hodie est malus cras forte « bonus erit. » Quod si vero opera ad bonum vel malum indifferentia existant, quale est, bona temporalia acquirere, cum muliere loqui, vel similia : « Aut iudicatur de opere, aut de operante. Si de « opere, non debet fieri iudicium humanae dei, « quia de opere non iudico, nisi de causa, vel « intentione operis; sicut si dicam, quod temporalia ex avaritia congregat, et tenet, ut in deliciis « vivat, et turpiter expendat, hoc est iudicium « temerarium et humanae dei, quia opus non « ostendit malum; et de quolibet praesumendum « est bonum, nisi probetur contrarium; similiter « autem si hoc modo iudico de operante. »*

**2.** — Toletus rationem reddit, cur sapientissimus Magister noster de hac materia iudicandi alios, in presenti Evangelio tractaverit; cum enim dixisset eos, qui adoptivi sunt filii Dei, ejus quoque exemplo misericordes et compasivos esse debere, mox subiungit, quid Deus ex motivo misericordiae suae faciat, ut idipsum nos quoque facientes, perfectam erga proximos nostros dilectionem nos habere probemus : « Deus hominem peccantem non statim « iudicavit, nec usus est sua iustitia adversus eum, « sicut fecerat contra Angelos peccantes, quos statim iudicavit, et condemnavit; at vero hominum « misertus est, et ad penitentiam expectavit, et « remedia salutis obtulit, Filium enim suum in « mundum non ad iudicandum nec ad damnan-

dum, sed ad salvandum misit, *Joan.*, iii, 17 : *Non enim misit Deus Filium, etc.* »

**3.** — Lucas Bragensis de quoniam iudicio Salvator noster hic locutus fuerit, his verbis declarat : « Non agitur de publico iudicio sed privato, eoque « non quovis, sed temerario ac maligno, quo quis « vel sinistre interpretatur alterius dicta, aut facta « dubia, vel exaggerat delicta levia, vel divulgat « crimina, vel calumniis impetit benefacta, vel « desperatae salutis delinquentem iudicat. »

**4.** — Euthymius ait : « Hic sermo non ad eos, « qui praesunt, dirigitur, sed ad subditos, monens, « ne qui propria debent, inspicere, ac seipsum djudicare dicere insipientia aliena, ut djudicent alios, nam « et Paulus dicit : *Si nos ipsos djudicaverimus, ne « quaquam djudicemur.* » Hocque unum est ex « motivis, quibus Jansenius, *cap. lv concord.*, ad nos ab hoc officulo deterrandos, utitur, dum ait : « Quod conveniat eum sua facta et dicta diligentius « attendere, atque in his suos lapsus, errata et de « lectus perspicere, ut non libeat ei aliena curiosus « observare, aut observata carpere. »

**5.** — Euthymius, *Matth.*, vi, 3, dicit : « Dirigitur quoque sermo et ad eos, qui cum in majoribus offendant, condemnant eos, qui in pravis « labantur; » in cujus prohibitionem considerat, quod Dominus noster paulo post subiungat : *Quid inspicis festucam in oculo fratris tui, trabem autem, quae in oculo tuo est, non consideras?* Chrysostomus quoque hoc monitum iis datum esse dicit, *Hom. xxiv in Matth.*, quia alios de peccatis iudicant levibus, cum ipsi ad fauces usque enormibus excessibus noscantur esse immersi : « Cum flagitiis « abundant innumeris, alios de levissimis quibus « que delictis tota temeritate condemnant; » id quod Jansenius in Scribis et Phariseis exemplificat, qui in censurandis aliorum levibus defectibus rigorosissimi erant, cum ipsi gravissimorum praecceptorum essent transgressores : « Ea calumniantes, quae « recta erant, sinistre interpretantes, quae erant « dubia, exaggerantes quae erant levia, sic et ingenio vulgi inter reliqua vitia penitissime insitum « est, in alienis factis curiosus esse, eaque censere, « a quo morbo suos docet hic Dominus debere esse « alienissimos. »

**6.** — Porro alios temere iudicare, idem est quod jurisdictionem soli Deo propriam usurpare, *Hom.*, xiv, 4 : *Tu quis es, qui iudicas alienum servum? Domino suo stat, aut cedit.* S. Climacus quoque ait : « Iudicare est impudens direptio divinae dignitatis. » Et S. Job, xiii, 18, ait : *Numquid faciem ejus accipitis? et pro Deo iudicare nitimini?* quasi vellet dicere, quod, dum alios iudicare volumus, idem faciamus, ac si falceam nostram alienae messi immitteremus, officiumque praesumeremus exorcere, quod ad Deum solum spectat : *Quis enim hominum scit, quae sunt, hominis, nisi spiritus hominis, qui in*

*ipso est? Scrutans corda et renes Deus, ad quorum discretionem et notitiam homo nunquam pertinere valet.*

**7.** — Jansenius ejus, qui proximum iudicare non dubitat, temerariam arrogantiam et injustitiam, ab inconvenienti quodam deducere contendit, scilicet, quod hoc sit auctoritatem talem in eum sibi usurpare, quam nec habet, quaeque illi nulla ratione debetur : « Quod agnoscere se debeat proximi sui « conservum esse, non iudicem; » unde enim nobis illa potestas venit, quod proximum nostrum parem et aequalem nobis censurare, iudicare et condemnare non dubitemus?

**8.** — S. Jacobus, iv, 11, ait : *Nolite iudicare alterutrum fratres, qui detrahit aut iudicat fratrem suum, detrahit legem, quibus verbis pari passu de detractone et iudicio temerario loquitur, quia per hoc, personam illam, quam iudicamus, in concepta notitiam famam, quam apud nos habere debet eidem auferimus, eamque infamamus.*

**9.** — Toletus in decursu hujus capituli vi S. Lucae, e quo praesens Evangelium desumptum fuit, observat, quod Christus in eo, duo praecipue impedimenta, quae proximi et maxime inimicorum dilectioni opponuntur, submovere voluerit, impatientiam videelicet et avaritiam, praeter quae, in hisce verbis aliud quoddam obstaculum e medio tollere intendit, nimirum iudicium temerarium : « Hoc « enim saepe causa est, ut inimicos multos nobis « faciamus, qui vere non sunt, dum dubia eorum « verba et facta, quae in bonam et in malam partem « accipi possunt, sinistre interpretantur, saepeque « decepti opinamur tales esse homines, quales non « sunt. » D. Chrysostomus in hujus pestis detestationem, aptius ad propositum nostrum loqui non poterat, quam dum ita de hoc vitio scribit, *Hom. xi in I ad Cor.* : « Ob id Dominus hoc dilectionis « venenum, quod amicitias interimit et inimicitias « multiplicat, fovet et auget, de medio tollit, « dicens : *Nolite iudicare.* »

**10.** — Porro bonitas et malitia operis, ab intentione recta vel iniqua dependet, haec autem soli Deo est manifesta. Unde Glossa ait : « Sunt « quaedam media et incerta, quo animo fiant, quae « bene et male possunt fieri; » quae verba ex Beda fuere desumpta, qui ulterius progreditur dicens : « De quibus temerarium est iudicare, maxime ut « condemnemus; horum venit tempus, ut iudicetur, cum Dominus illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit cogitationes cordis. Duo « autem sunt, in quibus temerarium iudicium « cavere debemus, cum incertum est, quo animo « quidve factum sit; vel cum incertum est, qualis « futurus sit, qui nunc vel bonus, vel malus appareret. » Prudens ille paterfamilias Evangelicus servis suis vetulum esse voluit, ne zizania ex agro eradicarent, cujus hanc rationem subiungit, *Matth.*,



« judicavit. » Id quod Euthymius in expositione horum verborum super cop. vii S. Matthæi expresse confirmat, dum ait : « Eadem condemnatione, qua condemnabis fratrem, condemnaberis et tu, hoc est, si levem ejus lapsum curiose inquisieris, etiam et tu condemnaberis, et levia errata tua anxie disquirentur, ac tempore tremendi judicii condemnabuntur. » Lucas Brugensis ait : « Tale subeundum vobis erit apud Deum judicium, quali vos ubi fueritis in alios, exactam, severum, rigidum, si exacti, rigidi, et severi fueritis; contra si candidi fueritis, et benigni alienæ vitæ judices, Deum quoque erga vos candidum et benignum a judicem sentietis. »

**21.** — D. Chrysostomus, *Hom. xxiv in Matth.*, super illa verba : *In quo enim iudicio judicaveritis, iudicabitur de vobis*, scribens advertit quod iudicium temerarium, quod facturi de fratre nostro sumus, non ipsum, sed nos condemnabit : « Non enim illum condemnas, sed temetipsum, et facis tibi terribilius esse iudicium. » Anastasius Abbas montis Synai refert, quemdam sui monasterii Monachum fuisse, qui, dum a norma vitæ communis paulisper recederet, licentiosius nonnihil vivebat. Idem vero dum in articulo mortis constitutus, hilarem præ se faciem ferret, ideoque ab Anastasio, ad vitæ ipsius mores sese reflectente, corripere, eidem intrepide Deum sibi Angelum quemdam submississe respondit, qui animam suam salvam futuram esse prædixit, eo quod Deus in ipso promissionem his verbis factam, *Luc.*, vi, 37 :  *Nolite iudicare, et non iudicabimini; dimittite te dimittentem*, adimplere et exequi statuerit, tametsi enim partim propria culpa sua, partim ob malam sanitatem, qua semper affligebatur, a regulari observantia deflexisset, illis tamen, qui ob id illum pœnis debitis castigarent, maleque tractarent, ex animo id condonasset, nec unquam sinistrum de illis habuisset iudicium, quin potius id quod sibi factum aut dictum fuerat, in meliorem semper fuisset interpretatus partem.

*Nolite condemnare, et non condemnabimini.*

**22.** — Toletus verba hæc in hunc sensum interpretatur, quod videlicet Christum per illa insinuare voluerit, quod non solum dicta et facta aliorum aliquid culpæ insinuare, aut sinistrum de iis iudicium ferre debeamus, sed nec etiam pœna digna censere, quod est condemnare, ne eadem pœna vos ipsos propter eadem dignos esse faciatis, qui enim alterius facta digna morte censet, sua profecto eadem damnata pœna.

**23.** — S. Augustinus super hæc verba ait : « Temeritas, qua punis alium, ipsa te punit, nec est semper iniquitas injuriam facienti. » Id quod in Phariseo adimpletum fuisse perspicue videtur, qui se de bonis operibus suis jactans, Publicanum, qui

eodem tempore in gratiam et amicitiam Dei repositus fuerat, temere iudicabat. Unde S. Augustinus ait : « Sic sepe iudicandi temeritas nulli plus nocet, quam ipsi iudici, ille enim reprobatos et condemnatos abscessit, Publicanus autem justificatus in domum suam abiit. »

#### *Dimittite et dimittentini.*

**24.** — Hugo Cardinalis ait : « Dimittite injurias illas vobis et dimittetur vobis peccatum vestrum a Deo, cui frequenter fecistis injurias. » Cajetanus quoque de illatarum injuriarum remissione intelligit : « Dimittite offensas et injurias vestras offendentibus et injuriantibus vos; » additque præceptum hoc affirmativum esse et consequenter suo loco et tempore, ubi id poposcerit necessitas obligare : « Et consulens quando expedit, etiamsi non oporteat. Adverte tamen quod in hoc præcepto claudantur duæ negationes, scilicet non habere odio offendentes et injuriantes, et non iudicare privata potestate injurias et offensas acceptas. » Quodsi vero præceptum istud adimplevimus, Christus omnium offensarum nostrarum remissionem nobis quoque vicissim promittit : « Mercebimini ut dimittantur vobis injuriæ et offense vestræ. » Paulo ante nos æternum Patrem suum in misericordia imitari jusserat; at vero « Deus non solum, » inquit Toletus, « non judicavit me, nec condemnavit a mundum peccantem, sed etiam dimisit peccatum, veniamque præbuit, mittens suum Filium ad salvandum; ad hoc igitur dimittendi exemplum nos quoque invitatur. »

**25.** — Porro quando Deus veniam et remissionem promittit : *Dimittentini*, non vult dicere, ut explicat idem Toletus, quod condonando nobis illas injurias, peccatorum nostrorum veniam absolute recepturi simus, absque eo, quod aliud quid faciamus, sed hic est sensus illius : « Si eos penitentem, ac facile veniam impetrate et, ut ad penitentiam convertantur, auxilium a Deo ipso facilius obtinere. »

*Videatur super hæc verba Evangelium Feriæ sextæ post Cîneres.*

#### **Additiones.**

**a.** — *Nolite iudicare, et non iudicabimini*, etc. In Annalibus ecclesiasticis de monacho quodam legitur, qui negligenter vixerat, quod dum ad mortem usque infirmaretur, vultu semper sereno permanserit, atque sine ulla perturbatione suum ad aliam vitam transitum imminetent expectarit haud secus ac si litteras securitatis de Paradiso possidendo habuisset; videbaturque velut alter quidam S. Laurentius jamjam dicturus esse : « Gratias tibi ago, Domine, quia janua tuas ingredi merui. » Cum ecce unus monachorum ad eum accessit, monens illum, ut timeret et toto corpore contremisceret potius, memor videlicet, quantum disciplinam mo-

nachorum abhorruisset, quamque vitam regularem duxisset negligenter, qui moribundus respondit : Verum quidem est, me valde inter vos negligenter conversatum fuisse, vobis tamen manifestum esse velim, Angelos Domini in hac ipsa hora chartam ad me tulisse, in qua peccata mea scripta erant, iisque mihi prælectis, me interrogasse, num ea a me commissi fuisset ultro faterer et agnoscerem, quibus affirmative respondi, monens tamen ut pariter memores essent, nunquam me aliquem temere iudicasse, neque illum receptor injuriæ diuturnam fovisse memoriam aut vindictam; ac proinde indubitatum mihi esse futurum fore, ut circa me adimpleretur illa æternæ veritatis promissio, qua dicitur : *Nolite iudicare, et non iudicabimini; dimittite, et dimittentini*. Quibus dictis Angeli folium in quo peccata prescripta fuerant, dilacerarunt, ac proinde ego lætus et securus ad cœlum me recipio : iisque verbis dictis expiravit.

**b.** — S. Fulgentius, in sermone cui titulus est *de charitate Dei et proximi*, utilitatem quam inimicis ignoscendo, etque tolerando, et beneficiando illis habuimus, considerat fusius, inter cætera ita inquit : « O charitatis debitum bonum, debitum sanctum, debitum cœlestibus refertur commo-dis, debitum sempiternum plenum omnino divitiis! Magna, fratres, hoc debito laera conquirimus, immensa commoda tali fenore comparamus, dum enim charitas a nobis redditur, et debetur, a omnis nostra iniquitas remittitur et deletur. » Sane si nullam aliud ex inimicorum dilectione emolumentum haberemus quam nostrorum peccatorum condonationem, annon hoc ipsum omnibus aliis præponderare deberet.

**c.** — *Dimittite et dimittentini*. Isidorus Clarius, in quadam oratione, illa Christi pertractans verba : *Pater noster, dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris*, ita commentatur : *Quem desperatissimum animum non erigat ad spem ingentem hæc similitudo; quem supremis involutum sceleribus non amiet ad sperandum veniam solum sed etiam ad maxima expectanda præmia? Necessum est credere Publicanum illum cui Phariseus insultabat, magno fuisse penes divinam justitiam debito obnoxium, qui perculiebat pectus suum dicens: Deus propitius esto mihi peccatori; et tamen modico tempore atque intra horas valde modicas totum hoc debitum diluit, quia descendit justificatus in domum suam. Unde D. Chrysostomus de odio et inimicitia disserens, inquit: « Descendit justificatus: vidisti quam subito? » At vero quamnam putatis hujus fortunæ, quæ Publicano accidit, fuisse causam? Nimium quia improprie et injuriis a superbo et elato Phariseo supra modum oneratus fuit. Unde Chrysostomus ait: « Acceptit probrum et abstersit probrum, agnovit delicta et deposuit delicta. Hostis etiam invitatus fit benefactor. Quid*

« quæso isto beatus fuerit? Quid ad remissionem peccatorum facilis? Quantum laborandum Publicano fuisset, jejunando, vigilando, humi cubando, facultates pauperibus erogando, longoque tempore in cinere et sacco sedendo, ut peccata a se amoliri posset? Jam vero nihil horum fecit; convicia illius qui ei insultare videbatur, absque sudore et labore, longaque mora, justitiam coronam ei attulerunt. Ideo etiam Deus pro inimicis orare præcepit, ut non solum illis debita condonemus, sed inter præcipuos quoque amicos eos numeremus. » Illum utique inter charissimos totius mundi amicos numerares, qui ad solvendam summam quandam inexpiabilem, ob quam in carcere mori cogere, integrum tibi auri millionem gratuito donaret; jam vero inimicus tuus, per illas tibi injurias, occasionem tibi præbet lucrandi, modo volueris; imo et omnia peccatorum tuorum exsolvendi debita. Annon itaque ratio sufficientissima est ut ipsum inter amicos tuos annumeres? Verumtamen lectionem hæc a Publicano injuriato plenius addiscamus, qui ut S. Doctor ait: « A longe stans, illum non vicissim contumelia affecit, non maledicta regressit, nec absurdum quid dixit, quælitia in dies non multo concinnatis dicimus. »

**d.** — D. Chrysostomus, *Serm. lxxi*, ad illa se quoque verba reflectens : *Dimittite nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris*, in nostra facultate positum esse dicit, debita nostra extinguerent eorumque condonationem a Deo obtinere : « Homo, penes in te est potestas veniæ, » inquit, « in te est indulgentia jus; tu tibi remissionis auctor es constitutus. Gratis petis veniam, qui tibi in alio indulgere contemnis. Homo, tu misericordie factus es ipse mensura, quantum quæris misericordie, fac laudem. » Verum enimvero sanctus hic Doctor, in ultimis hisce verbis excessive nimis loqui videtur, siquidem inter infinitum debitum, cujus nos debitores sumus ob injurias ei illatas, et inter illas, quæ nobis a proximis nostris irrogantur nulla est proportio, et consequenter non potest procedere ex paritate utriusque debiti condonatio. Pro cujus resolutione notata dignus est discursus quem Cornelius a Lapide ad propositum nostrum his verbis efformat : « Homini in hominem qui non nisi vanitas est, offensæ levis est, tum quia in parem, parvum et abjectum, tum quia parvi parva sunt omnia; quare quidquid est per injuriam autem vel inferi, parvum est. Homini vero in Deum offensæ infinita est, quia contra Deum infinitum; peccato enim offenditur infinita Majestas, eaque divina, imo tota Trinitas, Pater, Filius et Spiritus Sanctus. Ergo si quantus est offensus, tanta est ejus offensio, cum Deus sit immensus, ejus quoque offensio erit immensa. Homo vero cum sit pusillus et quasi nihil, ejus quoque offensio erit pusilla et quasi

« nihil. Igitur quis non stupeat, si videat eum donantem nobis in Christo omnia debita gravissima et delentem quod contra nos erat chirographum condemnationis? Quis audeat injurias suas servare vel vindicare, sciens se hac ratione Dei in se vindictam gravissimam, utpote gravissimorum peccatorum, provocare? Quis non ultro omnia condonet, ut a Deo tantorum condonationem accipiat. » Si daretur casus quod quis unius scuti creditum habens, ex altera vero parte integri millionis auri in eadem charta instrumentali debitor existens, hanc fortunam haberet, ut ei per pactum promitteretur, quod si remitteret et condonaret unicum illud scutum, vicissim a creditore suo obtenturus esset totius immensi debiti sui absolutionem, numquid talis unicum scutum illud remittendo excessivum quoddam lucrum facturus esset? Ecce igitur tibi hic casum in terminis oblatum, si quidem offense quae nobis irrogantur, qui vilissimi sumus terrae vermiculi, nec quidquam considerabiles sunt, si comparentur cum offensis innumeris et gravissimis, quas quotidie contra Deum committimus, et tamen hic tale nobis pactum offert: Si amore mei condonaveris offensas, quas a proximis tuis accepisti, contentus sum tibi remittere et condonare omnem debitum, quo mihi propter offensas tuas mihi irrogatas obstringeris; hoc enim sonant verba illa: *Dimittite, et dimittentini.*

e. — Ingeniosa est ratio illa, quam S. Thomas de Villanova assignat, cur videlicet sancta Mater Ecclesia, a Spiritu Sancto gubernata, in primis Quadragesimae diebus, Evangelium de dilectione inimicorum fidelibus proponat; hoc enim eo mysterio fieri dicit, quia cum eo tempore specialiter Deum nobis per penitentiam pro peccatis commissis placare contendamus, modum facilem docere nos voluit, quo placationem hanc obtinere valeamus, nimirum si inimicos nostros dilexerimus. « Ad hoc forte, » inquit, « canitur hoc Evangelium in principio Quadragesimae, ut si quaeritis veniam a Deo, primo dimittatis proximo, ne frustra laboretis. O Domine, quam bona et utilis est haec conventio! Libenter accepto pactum, ut pro tanto, mihi tanta dimittantur. » D. Chrysostomus ut utilitatem ex dilectione inimicorum in nos redundantem melius intelligamus, sequentem format discursum: « Cum rei istorum facinorum, » de vindictivis per justitiam vindictivam loquitur, « ad iudicium traherentur ac flamma intus incendebatur, circumstantibus carnificibus ac latera discerpentibus, si quis ibi assistens, ita eos ex transverso allocutus fuisset: Si habetis inimicos, omittite similitatem et ex isto supplicio vos liberabo; quid putas? An non cum oculis ad illius pedes se devolvissent? Imo quid de pedibus loquor? Si quis servitatem illis proposuisset, non cum conditionem aspernati fuissent? » Quod si

humana poena, quae terminum habet, supplicet iras superat, multo majus futurum supplicium, si memoria ejus perpetuo nostras mentes teneret, non solum similitates, sed omnes pravos cogitationes ab animo excluderet. Enimvero, ob peccatorum nostrorum demerita, infernalium poenarum rei sumus, utpote ad quas, secundum presentem justitiam sumus condemnati; securus vero has poenas evadendi modus est, amplexari inimicum, eique nos reconciliare, quia *dimittite et dimittentini.* Et quidem quis est aut inveniri poterit, qui Deum non offenderit, inquit Nazianzenus? Contentus sum ut injurias vestras nequaquam remittatis, dummodo vos nullam Deo injuriam intuleritis; at vero, quis est qui se excusare poterit dicendo se nunquam Deo ullam offensam, ad minus venialem, intulisse? « Tu leve ne dixeris, » inquit S. Bernardus, « in quo offenditur. » Et Nazianzenus inquit: « Si tu non affectis Deum injuria, nec tu remittas a proximo. At quis est iste qui non affectit Deum injuria, velique remitti sibi? » S. Leo, vel quis est auctor sermonis ullimi de *Martyribus*, inter ejus opera relati, ita ad propositum nostrum discaruit: « Sed dicit aliquis: Tanta mala me inimicus meus compulsi sustinere, ut illam nulla ratione possum diligere. Attendis quid tibi fecerit homo, et non attendis quid tui fecerit Deo? Si conscientiam diligenter discitis et inquiris, sine ulla compensatione majora tu commisit in Deum peccata quam in te commiserit homo, et qua fronte vis ut Deus tibi dignetur dimittere multum, cum tu non acquiescis dimittere parum? »

f. — S. Joannes dicit: *Advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum.* I. Joan., II, 1. Hic igitur probe sciens nos propter offensas Deo irrogatas penes divinam justitiam reos factos esse mortis aeternae, memoriale quoddam nos facere docuit, quod coram ejus tribunali praesentemur, ut a reatu absolvamur. Inter alias vero illius petitiones haec quoque continetur: *Dimittite nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* « Qui te docuit orare, » inquit S. Augustinus, *Hom. cxxx de temp.*, « ipse pro te allegat preces quia tu reus eras. Gaude quia ille erit tunc iudex tuus, qui modo advocatus tuus est. Ideo ergo quia oraturus es, acturus es causam tuam, paucis verbis venturus ad illa verba: *Dimittite nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* » Dicit enim tibi Deus: Quid mihi das, ut ego dimittam tibi debita tua? Quale munus offers? Quale sacrificium conscientiae tuae imponis altaris meis? Continuo docui te, quid petas et quid offeras. Petis, *dimittite nobis debita nostra;* et tu offers quid? *Sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Debitor es et qui falli non potest. Habes et tu debitorem. Dicit tibi Deus: Tu

« debitor meus es, ille debitor tuus; hoc facio ergo tibi debitori meo, quod tu feceris debitori tuo. Rogas me pro misericordia tua, noli esse piger in misericordia. Attende quod Scriptura dicit: *Misericordiam volo magis quam sacrificium.* » Noli offerre sacrificium sine misericordia, quia non remittuntur tibi peccata tua, nisi offeras eam misericordia. » Euthymius valde efficaciter nobis insinuat motivum, ut nostram inclinemus rebellem voluntatem ad inimicorum dilectionem; dicit enim: « Considera mihi, obsecro, humanitatis magnitudinem: in nostra constituit potestate peccatorum nostrorum remissionem. At dices fortasse, quod in multis delinquens, injuria te affecerit. Verum tu in pluribus et majoribus; et ille quidem in conservum, tu vero in Dominum. Tu indigens remissione remittis; Deus vero nullius indigens est. » Principes hujus mundi leges suas sapissime sub poena capitis injungere et prescribere solent, easque sine ulla remuneratione aut premio observari volunt. Longe vero benignior est Deus noster. Verum quidem est quod nobis praecipiat, dicens: *Dimittite; diligite inimicos vestros;* at vero simul etiam nobis promittit remunerationem, videlicet peccatorum nostrorum remunerationem: *Et dimittentini;* atque insuper: *Ut sitis filii Patris vestri qui in caelis est.* Poterat quidem hoc de dilectione inimicorum praecipulum prescribere cum impositione poenae, quod tamen non fecit, sed potius praemium promisit, ut nos spe remunerationis et specialiter spe hujus remissionis et indulgentiae peccatorum nostrorum, ad dimittendum inimicis nostris promoveret. Nec contentus fuit hanc promissionem in uno duntaxat Evangelii loco insinuari, quia praeter adductum in principio textum S. Lucae, insuper apud S. Matthaeum, vi, 14, post orationem Dominicam, haec verba leguntur: *Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et vobis Pater caelestis debita vestra, si autem non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.* Ubi Cajelanus observat caelestem Magistrum nostrum non dixisse: Sicut remiseritis hominibus offensas vobis irrogatas, ita et Pater vester vobis condonabit, sed claris verbis dixisse: *Si remiseritis, et similiter, si non remiseritis, » ut omnem spem auferat consequendae veniae a Deo si non remittimus aliis offensas, et similiter ple-* nam praebet fiduciam consequendi veniam si aliis remittimus offensas. »

g. — Verum inquit ergone homo aliquis fornicarius, simoniacus, usurarius, perjurus, sacrilegus, spem concipere poterit omnia sibi dimittenda esse scelera, licet aliud non faciat quam quod inimicis suis illatas sibi injurias condonet? Movet hoc idem dubium S. Bernardinus et in terminis scholasticis hoc modo respondet, nimirum vere ita esse, « de congruo et dispositive. Nam absque dubio tenen-

« dum est, quod in mortali existens, indulgendo aliis, multum ad se trahit misericordiam Dei; et seipsum ad charitatem vehementer praeparat et disponit. » Etenim inter octo beatitudines haec quoque legitur: *Beati misericordes, quoniam misericordiam consequentur.* Remittere autem aliis offensas est actus misericordiae, in quo imitatur Deum qui se nobis misericordem exhibet, quando offensas sibi irrogatas liberaliter condonat. Cajetanus quoque ad propositam difficultatem respondet, sperare posse hominem indulgentiam peccatorum suorum, etiam gravissimorum et innumerabilium plenariam, dummodo condonet male sibi facientibus, sicutem Christus, ad quem haec spectat remissio indefinita de quovis loquitur peccato. Hoc tamen intelligendum esse dicit, dummodo nos ex parte nostra nullum ponamus obicem, habeamusque veram de peccatis penitentiam, firmumque emendationis propositum. Moxque subjungit: « Haec responsio secundum theologici juris regulas procedit; crediderim tamen ego, hominem qui tanto Dei amore agitur, ut hominibus offendentes ipsum, remittat ex corde propter Deum, et etiam si in fornicatione perseveret, tandem a Deo converti, ita quod Deus remittat ei omnia peccata sua, convertendo cor ejus ad veram penitentiam. Unde Dominus non dicit quod vobis remittentibus Deus remittit, sed dicit in futurum, *remittet.* » Ut vero assertum hoc efficacius confirmet, subjungit: « Novit enim solus Jesus quem acceptum, gratumque sit Deo, remittere aliis offensas, et ideo ipse solus potuit hoc re- » lare. »

h. — Idem ipse Dei Filius, cui post sanatum paralyticum, primo loco omnium delictorum suorum indulgentiam donatum, *remittuntur tibi peccata tua,* applaudebant turbae, *glorificantes Deum qui dedit potestatem talem hominibus,* idem, inquam, in oratione Dominica modum nos docuit, quo ab omnibus offensis, quae continuo adversus aeternum Patrem suum committimus, absolvi valeamus, si nimirum petamus: *Dimittite nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Ubi advertendum est quod hanc peccatorum nostrorum veniam, nos per modum imperitium petere praecipitur: *Dimittite nobis,* quasi vellet dicere quod dum ex amore Dei nobis illatas injurias nos contumeliantibus remittimus, tunc certo, quodam modo veniam injuriamque, quas Deo irrogavimus, auctoritative praetendere possimus. In Evangelium S. Matthaei, v, 48, Christus post promulgatum dilectionis inimicorum praecipulum, ad aeterni Patris sui nos invitat imitationem dicens: *Estote ergo perfecti, sicut et Pater vester caelestis perfectus est.* At vero in hac petitione orationis Dominicae quam nos ore suo docuit, jubet ut Patri suo quodammodo concurrere valeamus, utpote qui inseparabiliter proprium est,

misereri semper et parcere. Omnis homo verissime dicere potest: *Ego in iniquitatibus conceptus sum; in peccatis natus sum totus; septies in die cado; ac proinde unicuique hominum magnopere estimandum est infinitum hoc beneficium, quo nobis Deus tam promptum et facile culpam nostrorum expiatione dignatus est probere remedium, quale est offensas contra nos factas, ejus amore libenter remittere: « Modum venie nos ipsi definimus, » inquit Cajetanus, « ut sic Deus dimittat nobis quod illi debemus, quemadmodum nos dimittimus « debitoribus nostris. » Notandum vero est Christum nequaquam nos docuisse, ut in tempore futuro diceremus: *Sicut nos dimittimus*, sed in tempore presenti: *Sicut nos dimittimus*; vult enim ut quando coram eterno ejus Patre comparemus ad implorandum plenariam peccatorum nostrorum indulgentiam, prius impositum nobis de dilectione inimicorum adimpleverimus preceptum; quid enim Deo retribuimus pro eo, quod infinitum quo obstringebamus, debitum nobis remisit? Certe non aliud quam debitorum remissionem, id est, condonationem injuriarum nobis illatarum: « Petis: « *Dimitte nobis debita nostra*, » inquit S. Augustinus, « et offers, sicut et nos dimittimus debitoribus « nostris. » Ac proinde merito desiderare debemus ab aliis injurias et contumelias affici, ut presto nobis sit moneta ejus valoris, ut per eam excessivam delictorum nostrorum apud eum contractorum summam diluere valeamus: « Si debito res, « gratulare te habere debitorem, in quo facias quod « fiat in te. »*

**1.** — S. Jacobus Apostolus, II, 43, sequentem tradit terribilem sententiam, videlicet: *Judicium sine misericordia fiet illi, qui non fecit misericordiam*. Deus enim tanquam severus iudex nos castigabit, si sine pietate et compassione erga offendentes nos primos coram illo compareamus. Divus Chrysologus super illa verba: *Dimitte nobis debita nostra*, ita nos monet: « Sic dicendo, o homo, indulgentie modum, mensuramque venie tu tibi « dedisti; qui a Domino Deo tantum tibi petis « dimitti quantum dimiseris ipse conservo. Dimitte « igitur delinquenti in te totum, si vis ipse vindicem vitare sententiam. » Quod si a Deo severe condemnareris, eo quod in cupidine vindictae pertinax perseveres, nullam utique haberes lamentandam occasionem. « Ipse igitur tibi sis iudex, » inquit S. Gregorius Nyssenus, « ipse te tua sententia absolvet ac serva. Remitti tibi a Deo debita desiderans, tu « dimitte. » Idem quoque Sanctus, in ejusdem orationis X in Or. *Domine* progressu, vindictae cupidum ita monet: « Ne a justo iudice ejusmodi quis « audiat: *Medice, cura te ipsum*; me ad humanitatem hortaris quam tu proximis non impertieris. « Remissionem debitorum petis, quo fit ergo ut tu « suffoces oberatum? Tuus debitor est in carcere,

« et tu in oratorio; ille ob debita cruciatur, et tu « remitti tibi debitum vis? Exaudiri oratio tua non « potest, superat enim sonus et strepulus vocis ejus « qui cruciatur; si tu corporale debitum dimiseris, « solventur tibi animae vincula. »

## VERSUS 38.

*Date et dabitur vobis; mensuram bonam, et conferentiam, et coagitatam, et supereffluentem dabit in sinum vestrum. Eadem quippe mensura, qua mensi fueritis, remetietur vobis.*

## Date et dabitur vobis.

**1.** — Venerab. Beda verba hæc de illis, qui erga inimicos, beneficos se exhibent, exponit: « Dimittite nos injurias, dare beneficia jubet, ut et nobis « peccata dimittantur et vita detur æterna; qua « sententia brevi, sed eximia, cuncta, que latissime, que conversando cum inimicis mandaverat, comprehendendo concludit. »

**2.** — Toletus ad prima hujus Evangelii verba respicit, quibus ad imitandum æterni Patris sui misericordiam invitabatur: *Estate misericordes, sicut Pater cælestis*: « Hoc est quartum, quod ad « imitationem et similitudinem Dei Patris, qui non « solum non judicavit, nec damnavit mundum peccantem; sed dimisit per misericordiam et ad hæc « beneficentia inexhausta bona et contulit, immensæ « sague largitate subvenit. » Unde idem Doctor, Christum hæc verba non solum de elemosyna, pauperumque subventionem, sed omnia alia re ad dilectionem ordinata intellexisse censet, « omne « officium dilectionis et misericordie complectitur. « His enim Deus misericordem et beneficam se « exhibet. »

**3.** — « Date proximis ea quibus opus habent, » inquit Lucas Brugensis, « et dabitur vicissim vobis « a Deo Patre, quod prodesset vobis queat et beatos « vos reddere. » Hugo Cardinalis ait: « Date pauperibus temporalia et dabitur vobis a Deo vita « æterna, oratione pauperum; quando etiam cum « vita æterna dabitur abundantia temporalis, cum « expedit. » Lyranus hanc quam recepturi sumus remunerationem dilatat et ad alia bona extendit: « Dabitur bonum nature, fortune, gratie et glorie, dum tamen datio fiat ex charitate. » D. Chrysostomus quod lucrum, quod pauperibus largiendo nobis comparamus, ita scribit, *Hom. xxxv*: « Elemosyna est ars omnium profanosissima, vera « et sacra usura est, in rebus profanis crimen est, « apud Deum laus est; da pauperibus, ut Deum « habeas debitorem. » Sapiens, *Prov.*, *xxi*, *17*, ait: *Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis*. Unica duntaxat usura reperitur, que opulenta est et dives, et non solum est permessa et licita, sed Deus ipse quoad usurarii lucrum, se constituit debitorem.

Unde S. Paulinus, *Ep. xu ad Severum*, ait: « Da ad « usuram pecunias tuas, sed Christo, et salutaris « usura est, » quævis alia usura perniciosa est, ideoque ab omnibus legibus naturali, divina et humana proscripita et condemnata. Porro immensæ fuerunt divitiæ mulieris illius, cujus in Proverbiis, *xxxi*, *29*, hæc verbis fit mentio: *Omnes filie congregaverunt divitias, tu supergressa es universas*. Nec est, quod dicat hic aliquis, facultates hujusce viraginis fuisse hereditarias; quia *quæsitit lanam et liuum, et operata est consilio manuum suarum; digiti ejus apprehenderunt fusum, panem otiosa non comedit*, quoniam igitur modo ad tantam divitiarum excessivam copiam peringere potuit?

**4.** — Mercatura et negotiatio, quia ingentes hæc divitias sibi comparavit, hæc fuit: *Gustavit et vidit, quia bona est negotiatio ejus*; at vero, in quo hæc ejus negotiatio consistebat? In erogatione facultatum suarum in elemosynam, in eo quod prodiga in pauperes erat: *Manum suam aperuit inopi et palmas suas extendit ad pauperem*. En igitur quam verum sit quod D. Chrysostomus ait: « Eleemosyna est ars omnium quæstuosissima. » *Simul in unum dives et pauper*, inquit Psalmista, *Psal. xlviii*, *3*, id quod in S. Francisco adimpletum fuit; qui totum id, quod licet mendicis existens habebat, erogando, religionem suam tamen, quam instituit, omnibus bonis necessariis optime provisam habet, et habuit semper.

## Mensuram bonam, et conferentiam, et coagitatam, et supereffluentem dabit in sinum vestrum.

**5.** — « Mensuram bonam bonorum temporalium, » inquit Hugo Cardinalis, « secundo conferentiam bonorum nature. Tertio coagitatam bonorum gratie. Quarto supereffluentem bonorum glorie in sinum vestrum, o plena et secura possessio! » vel etiam in sinum non tunicæ sed animæ; « sinus autem animæ est intellectus, qui implebitur gloria visionis apertæ, et affectus, qui implebitur lætitia delectationis perfectæ. »

**6.** — Dionysius Carthusianus existimat, Sapientiam incarnatam nobis per hæc phrasim, abundantem illam recompensationem voluisse describere, quam recepturi sunt, qui charitatis et beneficentie Christiane operibus dediti erunt: « Per omnem « hæc circumlocutionem insinuat, quod ineffabiliter copiosa erit retributio operum charitatis, « ac pietatis in celo, qua retribuitur per mensuram « exprimitur, quoniam præmium merito correspondet, ac proportionatur. » S. Bonaventura, in *Luc.* dicit: « Ponit quatuor dictiones, secundum « quatuor conditiones beatitudinis. » Prima est in gaudio interno beatitudinis animæ et denotatur per verba illa: *Mensuram bonam*. Unde Psalmista, *Psal. cii*, *5*; ait: *Tunc replebitur in bonis desiderium tuum*; tunc enim anima beata una cum Petro dic-

tura erit: *Bonum est nos hic esse*. Secunda erit gaudium inferius, id est, glorificatio corporis, significata per vocem *conferentiam*. Tertia erit gaudium exterius, id est, consortium Sanctorum, ac proinde additur *coagitatam*. Quarta gaudium superius, quod in clara Dei visione consistit. Unde subjungit: *Supereffluentem*. Merus hic est Doctoris Seraphici discursus, qui addit: « Dabunt in sinum vestrum, id est, in animæ capacitatem stabilem et intrinsicam: *Reposita est hæc spes mea in sinu meo*. » Lucas Brugensis ait: « *In sinu vestrum*, id est, in vobis ipsis firmiter, æternamque a vobis ipsis « possidendam, nam quod in sinum nobis datum « fuerit nostrum, non facile nobis perit, quippe « quod ita teneamus, ut facile sit nobis in locum « tutum transferre. » Toletus hoc loquendi modum, phrasim quamdam Hebraicam esse dicit, idemque significare quod « *dabitur vobis ipsis*, non aliis pro « vobis, idque in recompensationem vestrorum « operum; hæc enim duo ea locutio significat, « juxta illud Psalmi *lxxviii*, *42*: *Redde inimicis « nostris septuplum in sinu eorum*. »

**7.** — Lyranus operum misericordie præmium etiam in hac presenti vita, præter bona æterna, insuper ex nature et fortune bonis accumulandum esse opinatur: « Subditur *mensuram bonam*, quam « tum ad bona fortune et nature, sicut sanitas et « hujusmodi, que etiam aliquando conferuntur « propter opera pietatis, » per quotidianam namque experientiam, in multis elemosynariis videamus quod in hac quoque presenti vita, prosperitatibus gaudeant; at vero quod æternam spectat veritas est infallibilis, quod, qui opera exercent misericordie, pignus habituri sint securissimum, quod cælesti sint præmiandi gloria, qua de re præcunctis aliis securissimi esse possunt, quia in examine et processu, quem Christus, dum in judicio tanquam iudex considerat, formaturus est, ipsos ad dexteram se collocare declarabit, ex eo præcipue merito, quod ipsum cibantur famelicum, nudum vestierint, etc. *Matth.*, *xxv*, *35*: *Esurivi enim et dedistis mihi manducare, nudus eram, et « Itaque « ut nobis commendet, » inquit Didaeus Stella, « maximum illud præmium uberem retributionem, « quam Dominus reddet eis, qui fuerint in pauperes misericordes, illa verborum ambage utitur: « Ideo in Proverbiis, *iii*, *9*, dicitur: *De primitiis « frugum tuarum da pauperibus, et implebuntur « horrea tua satietate*. » Apostolus quoque, *II Cor.*, *ix*, *6*, dicit: *Qui parce seminat, parce et metet; et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet*. Et ideo curandum nobis non est, quod is, qui beneficium nostrum accipit, sit pauper et mendiculus, quia ut Venerabilis Beda advertit, Christus est, qui munus nostrum accipit, qui etiam in persona miserabilis hominis illius, debitor noster efficitur. Dicit enim præfatus Beda: « Hinc simile est, quod*